

LUCRETIANA

LIBER TERTIUS (I)

3, 358 ...cum expellitur *alvo*.

cum anima alvo (=corpore) expellitur, corpus multa perdit; ergo «alvo», non «aevo» scribendum est.

3, 430 «imaginibus fumi nebulaeque *cietur*».

hoc verbum «cietur» in textu locandum est pro illo «moverur», quod ex versu antecedente (429) falso repetitum est; apud Lucretium enim observari licet in iisdem duobus vocabulis versus contiguos claudentibus unum saltem verbum falsum esse; propterea unum «moverur» rejectaneum est, pro quo rectum illud «cietur» (430) idem valens substituatur oportet.

3, 453 ...*natat* mens.

«natat» post «lingua» per haplographiam omissum est; cf. Manilius 4, 257.

3, 475 et pariter *mentam saccare* in corpus inane.

fortasse hoc modo versus mutilatus quadam tenus sanari potest.

3, 498 ...*munita viatim*.

forsitan scribere liceat "*viatim*" (cf. *gradatim*) = in cursu; forma codicum «*viai*» in complexu verborum mutila videtur esse maxime in versu sequenti (3, 499) respecto illo «*anima*»; cf. Stolz-Schmalz: Lat. Grammatik, p. 300; cf. Ernout-Meillet: Diction etym., p. 1293, «*triviatim*».

3, 538 ...ut diximus, *illa*...

de *anima* agitur, quae pronomine "*illa*" significatur; post verbum «diximus» adverbium «ante» addere superfluum est, quia tempus perfectum semper ante nos accidit.

3, 553 lincuntur tempore *labi*...

manus, oculus, nares delentur; «deleri» hoc loco sic exprimitur: «linqui... labi»; «labes» enim exitum significat; allitteratione «lincuntur... labi» lectio commendatur.

3, 594 ...toto solvi de corpore *prompta*...

in versu extremo adiectivum ad animam pertinens addendum est; «prompta» totum corpus relinquere anima describitur.

3, 596 ...*exsanguis* specie cadere...

post «exsanguis» ommissa est vox, qua corpus indicatur; ideo «specie» addendum est.

3, 613 non tam *sem* moriens...

«sem» pro «se» scripsi quia codex Q «tamen» exhibet, cujus syllaba posterior «-en» ad «sem» ducere potest.

3, 633 haud hilum per se...

codices exhibent in primo versu «auditum» pro quo «haud hilum» posui, quoniam negatio postulatur.

3, 658 serpentis cauda et procero corpore...

codex Q continet hanc scriptionem «caude» quae forma in «cauda et» solvi potest; cauda e = caudae = caude littera t (et) per haplographiam ante «procero» perit.

3, 702 dispertitur eo...

anima diffunditur in totum corpus; dispertitur eo (=in corpus), illud «eo» in falsam formam «ergo» auctum est.

3, 705-6 (anima atque animus) «...integra recensque / corpus eunt...».

ad illud «recens» particulam «que» addidi, ut duo adiectiva (integra recensque) rite inter se copulentur; in versu 706 verbum «eunt» sine praepositione ad nudum accusativum accedit cum praesertim apud poetas verba movendi et eundi cum accusativo directionis conjuncta praepositionibus carere possint; cf. Lucretius 6, 742... ea quod loca cum venere volantes;

cfr. Stolz-Schmalz: Lateinische Grammatik (5. editio, Muenchen, 1928), p. 386; cfr. Vergilius Aen. 1. 2: Italiam... venit.

3, 736 ...at qui possint, via nulla videtur.

codices habent hanc formam: «que» id quod est nihil nisi «quei» vel «qui»; haec vox idem significat atque «quemadmodum»; prisca erat forma «quei».

3, 738 nec tamen est, ubi tum perfectis insinuentur

3, 379 corporibus...

codices exhibent «utquicum» pro quo «ubi tum» legendum est.

3, 743 a patribus datur ac patrius...

non «et», sed «ac» scribendum est: nam pro «et» videtur «ac» insertum ita esse, ut a pro e poneretur, sed emendatio perfecta in formam «ac» non fieret.

3, 747 «vis animi crescit cum corpore cuncto».

ultima vox hujus versus nullo modo potest esse «quoque», sed «cuncto»; siquidem de corpore toto sermo est; verisimile est ex forma originaria «cuncto» et illud falsissimum «quoque» (cfr. quom = cum) et illud «toto» ortum esse: in eundem modum etiam 3, 769 scribi necesse est «cum corpore cuncto»; adjectivum «cunctus» in numero singulari quoque usurpatur, praesertim apud illa nomina quibus totum complures partes complectens exprimitur velut mens cuncta (ubi conceptio, cognitio, memoria, iudicium ratiocinium inveniuntur) et corpus cunctum (ad quod tot partes et membra a capite ad calcem pertinet).

3, 753 ...saperent mera saecla ferarum.

«mera» his de causis scribendum est: «mera saecla ferarum» significat «saecla (=genera) merarum ferarum» per figuram hypallagae adjectivi: ergo simpliciter hoc modo ista sententia exprimi potest: «saperent merae ferae»; merae ferae autem nihil aliud sunt nisi brutissima animalia, quae summopere et nihil nisi animalia sunt; id poeta adjectivo «mera» effari valuit: gradationem quandam et conversionem naturae.

3, 852 Te! nunc nihil ad nos de nobis attinet...

«te» est accusativus exclamationis et appellationis: cfr. te = Memmium (5, 91); cfr. o me miserum! cfr. «quos ego» (apud Vergilium).

3, 861 debet enim, misere etsi forte aegreque futurumst...

pro illo «miserest» quod codices exhibent, scribi oportet «miseret etsi»; nam «etsi» in «est» perperam a librario mutatum est.

3, 908 ...ec pectore...

«ec» scribatur oportet haec forma (ex codice Q), quia habet «et pectore», quod est pro «ec pectore».

3, 935 nam gratis fuit tibi...

codices recte scribunt «fuit tibi»; nam «fuit» longa littera u in prisca latinitate (apud Ennium) usurpabatur; cfr. Stolz-Schmalz: *Lat. Grammatik*. pp. 99, 334, 335, 337; cfr. R. Kuehner: *Ausf. Grammatik d. lat. Sprache* 1, 255; ergo inter «fuit» et «tibi» nulla vox inseri debet; praeterea, ibidem.

3, 935: «nam gratis fuit tibi vita ante acta piorque».

codicibus traditur «priorque», pro quo scribendum est «piorque»; nam «pior» postulatur tamquam causa quia vita ante acta quae pia fuit, «grata» iudicari potest; postquam autem «ante acta» praecessit, illud «prior» superfluum esse debet et est perissologia; quamquam «pior» forma comparativi usque adhuc nondum nota est; tamen adhiberi potest per analogiam aliorum comparativorum similiter formarum, qui leguntur apud —Neu-Wagener: *Formenlehre der lateinischen Sprache* (vol. 2, Berlin, 1892. pp. 204-205)—: alsius (neutr.), dubior, eximior, industrior, necessarior, nefarius (neutr.), noxior, sobrior. Fortasse comparativus «pior» (=pior) littera i geminata scriptus est, ut legimus «pius» CIL 6, 16123; quo factum est ut PIOR in falsam formam PRIOR a librario mutaretur; cfr. Quintilianus inst. or. 1, 4, 11 ubi Ciceroni placuisse «aiio Maliamque» geminata i scribere memoratur; hac forma «pior» Lucretius uti potuit quod a communi consuetudine dicendi longe aberat. Servius ad Vergilli Aen. 1, 378: explicat: «pius» potest esse et pius et innocens et omni carens scelere; ergo etiam hac de causa praestat «pior» in textu ponere; praeterea haec vox est lectio captu difficilior et corrupto facilior; porro in codicibus «pius» et «prius» saepius inter se confunduntur; postremo igitur «piorque» recta forma in textum 3, 935 recipienda est.

3, 950 quid respondemus? sic justam intendere litem

3, 951 naturam et veram verbis exponere causam.

simpliciter lectio integra scribendo «sic» (pro «si») restituitur signo quaestionis post «respondemus» posito et eodem verbo sine quaestione subintellecto: (=quid respondemus? respondemus sic):

3, 962 ...acidum vacuis...

«acidum vacui» sunt hedonistae, quos Lucretius laudat; ille senex autem, quem poeta reprehendit, non est hedonista, sed dyscolus. «acidum» est genitivus pluralis «acidorum» qui pendet ab adjectivo «vacuis». codices falsc scribunt «agedum», quod nihil aliud nisi «acidum», est.

3, 1016 ...de saxo jactus erorum...

e:i de saxo Romae dejecti sunt, non servi.

3, 1061 ...subitoque resistit...

dives homo describitur qui taedio vitae affectus multa molitur subitoque resistens actionem interrumpit et domum currit: actio resistendi inopinata hoc loco notatur.

3, 1063 praecipiter tam...

«praecipiter» forma est vulgaris linguae; «tam» vel metri causa adverbio addendum est et ad magnam celeritatem notandam; in «glossis», Placidi 5. 40. 12, hoc adverbium explicatur.

3, 1085 ...in dubiost fortuna ea, quam...

codices exhibet «fortuna»: ad metrum autem supplendum «ea» adjungi debet, quod pronomen post «fortuna» per haplographiam omissum est.

LIBER QVARTVS

4, 40 ...atque animans natura...

«animans natura» idem est ac natura animae; e codicis Q scriptione «animam» restitui participium «animans».

4, 77 ...tremencia fluctust.

codex Q exhibet «fluctus»; ad hoc nomen addenda est littera t copula «est» (fluctust); «fluctust» (=fluctus est) significat totum praedicatum ad subjectum «vela» (4, 75), quod «intenta» (4, 76), et «volgata» et «tremencia» (4, 77) vocatur; «fluctust» igitur praedicatur haberi oportet; cfr. necessust.

4, 79 ...scaenai speciem patrium marmurque deorum...

theatrum Pompeii Romanum describitur, in quo simulacra marmorea patriorum deorum collocata erant...

«patrium» est genitivus pluralis «patriorum» pertinens ad nomen «deorum»; praeterea «marmurque» est singulare collectivum positum pro plurali «marmora» vel «simulacra marmorea», cfr. di patrii apud Ciceronem in Verr. 4. 11. 17. 18. 94. 132. 151. Philipp. 2. 72. 75, harusp. resp. 37; cfr. Vergilius Aen. 2. 702. Tibullus 2. 1. 17; cfr. Plutarchus: vita Pompeji 42. 9 de theatro Pompeji.

4, 139 ...succedere propter

«propter» scribendum est, quod actio succedendi post aliquid fit, non

autem praeter neque juxta rem; «propter» in textum quadrat, quod cum verbo succedendi sine dubio conjungi potest.

4, 146 ...hoc aptas cum p̄venit in res...

codices exhibent «alias» quod adjectivum nihil circumscripti ostendit et certo prave scriptum est; magis autem placebit «aptas»; siquidem simulacra rerum solummodo «aptas res» transire possunt; ex litteris APTAS scriba quidam ALIAS fecit; inter se opponuntur «apta» et «aspera».

4, 166 ...obvertimus orbis...

«orbis» est genitivus dependens ab adverbio «quocumque», similiter atque illud «ubique terrarum».

4, 283 ...sed ubi im speculum...

«im» significat «eum» pertinens ad «speculum», quod nomen hoc loco masculini generis est («speculus»), ut patet ex versu 4, 284 «in eum»; cfr. Cicero, De Legibus 2, 24, 60 «im». Lucretius complura substantiva neutrius generis ut masculina tractat: aevus 2, 561. 3, 605. caelus 2, 1097. fretus 6, 364. speculus 4, 283.

4, 312 ec tenebris...

codex Q exhibet «et» vel «at»; sed «ec» ponendum est, quod «at» hic sine valore usurpatur.

4, 313 cum probrior caliginis aer...

«probrior» scribendum est pro codicum forma «proprior»; nam vox «prober» attinet ad priscam latinitatem valetque idem ac «sporcus»; cfr. Gellius 9, 2, 9: animalia spurca ac probra. Ernout-Meillet, DE 950.

4, 324 ...dexter, at idem...

ne bis illud «ut» post «fiet» ponatur, «ut» posterius in «at» mutandum est, quia sequitur «laevus» (4, 325) contrarium antecedenti «dexter» (4, 324); ergo «dexter... at... laevus» inter se opponuntur.

4, 332 usque adeo a speculo...

praepositio «a» (speculo) postulatur propter alteram praepositionem «in» (speculum); praepositionibus via originis imaginis usque ad finem indicatur.

4, 351 ...ne simulacra...

4, 352 possint ullarum rerum conlecta moveri.

simulacra rerum oculis conlecta (cfr. colligere), sunt, at moveri porro nequeunt; «conlecta» scribi necesse est pro codicum »conlecta» confusa littera prave scripta t pro recta l.

4, 447 ac si forte...

hic non oppositio sed continuatio simplex sentitur; ideo «ac» (pro «at») scribere justum est.

4, 471 ...metuam contendere causam

«metuam» restitui pro prava codicum scriptura «mituam»; «metuo» cum infinitivo valet idem ac «vereor» vel «fugio» (= *meiden, huir*); cfr. 6, 565.

4, 545 «evanidae ac nocte hortis ex Heliconis alumnae

4, 546 cum liquida tollunt lugubrim voce querellam».

ambo versus valde perturbati sunt, quibus Musae describuntur; breviter voces explicantur: 4, 545 in primo versu vocabulo «evanidae» significatur Musas nocte e monte Helicone fugisse et evanuisse; tota sententia incipit conjunctione «cum» (546) quae versui 543 «cum» respondet; versus 543 et 546 per copulam «ac... cum» (545) nectuntur; subjectum sunt «alumnae» = Musae; praedicatum est «tollunt», objectum est «lugubrim... querellam»; ablativus instrumenti est «liquida... voce». Hesiodi Theogoniam 9-10 Lucretius hoc loco imitatus est.

4, 570 pars solidis adlisa topis...

codices majoris momenti scribunt «lopis» quod nihil aliud nisi «topis» est (Graece «topos» = locus); etiam Manilius 2, 968 voce «topus» utitur. Lucretius non severissime puram latinitatem adhibuit.

4, 587 ...capitis villamina quassans...

«villamina» sunt villi vel crines; vox «villamina» a bestiis desumpta est, quarum e natura Lucretius metaphoras praefert.

4, 594 ...avidum nimis avicularum.

«avicularum» est deminutivum vocis «avis» metri causa adhibitum; (deminutiva spectant ad linguam vulgarem velut «scafulae, moduli»). «avis» significat «omen, rem secretam»; homines ominum cupidissimi sunt; codices raram formam «avicularum» in «auricularum» mutaverunt; cfr. Varro, De Lingua Latina, 8, 79.

4, 612 ...clausa casarum...

«casarum» per haplographiam post «clausa» periit; cfr. 5, 1011.

4, 615 huc, qui sentimus...

«huc» significat «deinde praeterea» (quae forma antiquitus «houc» scribi poterat); «qui» est ablativus instrumentalis, cuius forma prisca non variatur; cfr. Ernout-Meillet, DE, 982 «qui».

4, 616 ...plus operae atque.

versus extremus, ubi codices solum «opere» exhibent, ita supplendus videtur esse: «operae atque» id quod significat «plus rationis atque operae». vox «atque» per quendam haplographiam post «opere» periit. «atque» significat «etiam» vel «quoque»; cfr. Stolz-Schmalz: Lat. Grammatik p. 657.

4, 632 ...stomachi validum servare tenorem.

ita scripsit Q. Serenus Sammonicus in «libro medicinali» 467 (edidit F. Vollmer, Lipsiae, 1916), qui librum quartum Lucretii ante oculos habuit ejusque versus 631-632 ad verbum exscripsit.

4, 640 propterea nobis...

solummodo «propterea» hoc loco stare potest; iterum abbreviatio vocum «propter» et «praeter» falso scripta est; nam herba quaedam propter diversum effectum ad homines et bestias affertur.

4, 648 ...ec seminibus...

codices habent «et», quod valet «ec»; cfr. 1225 «ec semine».

4, 649 semina cum poro distent...

«poro» (id est «duritie») semina inter se distant. 2, 725 idem versus legitur.

4, 761 reddita eā vita...

postquam ea (=haec) vita reddita est, = postquam aliquis mortuus est (=eam vitam reddidit), mors et terra eum occupavit.

vox «ea» per haplographiam post («—ta») omissa est.

4, 783 si mare, si terra in cordist...

jam Bernays «terram» ita distinxit «terra in»; contra Bernays autem scribo «in cordist»; nam ablativus «cordi» invenitur in Th. l. l. s. v. «cor».

4, 784 ...pompas, convivia, pugas...

«pompas» accusativum pluralem propono, quia omnes hominum actiones numero plurali hoc in versu proferuntur; non est cur hoc solum nomen «pompas», numero singulari reddamus.

4, 791 et repetunt rotulis gestum...

«rotulae» valent idem ac «motiones circulares»; homines enim saltantes in circulo videntur.

4, 805 ipse parat sese poro...

hic «poro» est ablativus instrumenti; animus se duritie ac firmitate (=poro) afficit (et praeparat), ut simulacra videat.

4, 830 ...utraque e parte...

praepositio «e», non «ex» addi debet ideo quod «e» per haplographiam post «—que» (=utraque) perit.

4, 879 ...quae res tantum huc oneris protudere nostri

«huc» indicat enumerationem = «deinde, praeterea, ultro». illud «tantum oneris» est vox conjuncta et una dictio.

4, 897 corpus ut ac navis pēdis ventoque feratur...

«pedis» a Graeco τὸ πηδόν = «remus» derivatum ablativus postulat; duabus enim rebus navis propellitur; remis et vento; voce «velis» autem idem ac «vento» exprimitur; sed palaeographice «pedis» melius quam «remis» pro «velis» (codicum scriptura) restituitur.

4, 907 ...quietes...

pluralis «quietes» poni multo praestat, quia ad tot membra singula quietes distribuuntur; praeterea codices exhibent «quiete» quod facillime ad «quietes» suppleri potest.

4, 938 ...aer verberat huc, idem cum ducitur...

verisimile est primo «hunc» (adverbium locale) scriptum esse, unde postea adjectivum «hic» propter «idem» (=aer) exstitit; «huc» autem ut adverbium significat enumerationem et continuationem.

4, 990 ...carceribus patefactis se reciere...

equi, antea quam e situ quiescendi resurgunt, retro se cient, unde «se reciere» scripsi.

4, 999 venatumque canes...

codices exhibent «venatumque», quae vox fortasse supinum repraesentat; non est necesse putare solum canes venatorum crura jactare, immo plerique canes venantur.

4, 1009 ...si proelia pugnīs

accipitres visae sunt proelia edere; cum aves pugnīs (=pugnando) persectarentur; «pugnīs» igitur coniungendum est cum «persectantes» (4, 1010).

4, 1037 sollicitatur idem nobis...

«idem» semen disputatur, quod poeta (4, 1031) commemoravit. «nobis» est dativus commodi.

4, 1057 ...praesagit mota cupido.

cupido mota esse debet, ut aliquid praesagire possit; nam cupido non excitata nihil efficit; «mota» prisce «mouta» scriptum est.

4, 1058 ...hinc cautumst numen Amoris...

postquam natura Veneris adumbrata et circumscripta est, Amor memoratur. Amor est numen; hoc «numen» recte iam Creech restituit; sed porro «cautumst» scribendum est; nam hoc Amoris numen cautum est, ut ex Ovidii Epist. 17, 190 (cautus Amor) patet.

4, 1060 ...successit strigida cura.

cura amoris homines strigosos reddit, quamobrem «strigida» (pro «frigida») ponatur necesse est; prima syllaba cum littera i longa poeta usus est. sicut saepius cum licentia poetica quantitates syllabarum metri causa mutat; amoris enim passione corpus stringitur et magis tenue fit; ad hanc passionem, cfr. Galenus 16, 326, 18 B 18 Kuehn.

4, 1206 quae lacere in fraudem possent...

«lacere» scribendum est; nam significat «inducere in fraudem»; cfr. 5, 1005 «pellicere in fraudem»; cfr. etiam Paulus ex Festo 103 25, 104, 16, 116, 15, 117, 9. Ernout-Meillet, DE. 517 «lax».

4, 1209 femina vim vicit cupida vi...

«cupida» propono, quia de cupiditate et concupiscentia feminae agitur; adiectivum autem «subita» hoc loco sensu caret.

4, 1225 ...haec ec semine certo...

post «haec» per haplographiam «ec» periit; cfr. 4, 648 «proinde ec seminibus».

4, 1244, crassius huc poro quoniam concretius aequo

«huc» continuat enumeratione; (voce) «poro» semini squalitas describitur; «porus» pertinet ad «crassum» et «concretum» et duritiem quandam continet; cfr. 2, 725: semina cum poro distent...

4, 1282 ut facile im suescat secum quoque degere vitam...

«im» forma prisca accusativi pronominis «eum» est; «is» significat typum viri cujuslibet; einen Mann; un hombre tal. (Herr. So und So).

«quoque» ex codicibus AB convenienter in hunc versum additur.

LIBER QVINTVS

5, 2 ...pro rerum majestate isque repertis...

«isque» scripsi, quod ita interpreto: «is» est prisca forma genitivi singularis, quo illud sequens «ejus» (=Epicuri) jam in versu secundo anticipatur; «isque» igitur pro «ejusque» ponitur; praedicantur Epicuri dogmata (=«reperita»). cfr. Terentii «Adelphoe». 452 «pater is (=ejus) nihil pendit».

5, 52 ...ac divinitus ipsis

5, 53 tam mortalibus e divis dare dicta suerit...

«tam» oportet restitui pro «iam»; illud «tam» conectendum est cum «divinitus» (=tam divinitus 5, 52) nam «bene multa» et «tam divinitus» pertinent ad «dicta» (5, 53); ideo «jam» codicum sensu caret.

5, 67 ...congressus materiarum...

codices exhibent «materiam», quod est fortasse contractio formae genitivi «materiarum».

5, 109 succidere ...omnia vecta fragore...

«vecta» ponendum est; neque enim de metaphora rei militaris («victa» codicum) agitur, sed de naturali eventu; omnes res, cum concidunt, fragore circumdantur; origo erroris: E in I mutatum est, quod vitium saepius a scriba codicis repetitur.

5, 154 ...tenues de corpore erorum.

«erorum» = deorum = dominorum; cfr. 5 87 «dominos (=deos) acris adsciscunt».

5, 195 quod quom jam rerum.

«quom» = «cum» per haplographiam post «quod» periit («=quonjam»). «quod» est conexio relativa = quo, posita pro «eo» = itaque, etiam «quonjam» conjunctivo afficitur; cfr. Stolz-Schmalz: Lat. Grammatik, p. 753.

5, 201 «avidam» pertinet ad «ferarum»;

«avidus» hoc loco jam finem petendi et magnam copiam indicat; itaque idem fere atque «ingens» vel «innumerabilis» valet; in montibus et silvis innumerabiles bestiae sunt.

5, 291 vel primum...

«vel» est conjunctio qua sententiae inter se copulantur; codices habent «ut», quod falso legitur pro recto illo «vel».

5, 298 ...ignibus instar

5, 299 instant...

«ignibus instar» idem est ac «tamquam ignes»; verbo «instant» vehementia et studium exprimitur.

5, 312 quae crepero poro nihilumque senescere credas...

monimenta virorum (5, 311) dilapsa videmus. quae crepero poro constructa erant;

«porus» est vox Graeca lapidem vulcanum (=Tuff) significans;

«creper» est idem fere ac «niger». creper porus autem tam firmus est, ut prope indelebilis habeatur et nullo modo «senescere» possit, ut ait poeta. «nihilumque» est negatio et stat pro hoc: «etiam nihil» = etiam nullo modo.

5, 393 magnis perpetuo de rebus cernere certant

«perpetuo» (=continuo) majoris momenti in hoc versu est quam «inter se», quod quasi futile additamentum videtur.

5, 409 ...vires ...revectae

«revectae» = remotae, aversae. cfr. 5, 413 vis... recessit aversa.

5, 412 ...hominum villas...

villae hominum undis obruebantur; codices falso «multas» exhibent pro recto «villas», quod significat «domos, domicilia, casas».

5, 470 ...cetera cepit

«cepit» optime ad sensum quadrat, cum codicum scriptio «saepsit» stupide ex 5, 468 repetitum et formatum haud dubie modum cogitandi et dicendi violet.

5, 485 ...ad limina opertam...

«operta» terra est radiis solis; «operta» idem atque «involuta» vel «inclusa» significat; nulla pars terrae radiis solis intacta est.

5, 535 *evanescere...*

codex Q retinet vestigium malum scriptionis «etvanescere», quod est «evanescere».

5, 553 *partibus aërii mundi...*

codices exhibent «aeri», quod falso per haplographiam secundam litteram i (aërii) perdidit.

5, 559 *...tam saltu pernici*

«tam» ad «pernici» pertinens magis tensionem enarrationis exprimit:

5, 563 *conjuncta est terra...*

«aër» feminini generis (5, 562) usurpatur et «conjuncta» ad illud «aer» additur; etiam Ennius: *Annales* 454 feminini generis «aëria» voce utitur (aër fulva); ad metrum supplendum «conjuncta est» scripsi, quae copula ante «terris» omissa est.

5, 568 *...nil istis intervallis...*

«istis» ad «intervallis» adjectum indicat spatium enorme, quod describi nequit: cfr. 5, 566 quibuscumque e spatiis...

5, 586 *...cernimus aestus...*

«aestus» significat «ignes»; verum quia (5, 585) jam «ignes» antecessit, secundum vocabulum «ignes» (586) vitandum et «aestus» scribendum est.

5, 587 *dum tremor est clarus, cum cernitur ardor eorum...*

versus meliorem formam habebit scribendo «est clarus», quam copulam codex quidam l qui vocatur, continet, scribendoque «cum» (pro secundo «dum»).

5, 608 *stipulasque*

numerum pluralem post «segetes» praestat adhibere; «stipulamque» singularis probandus non est.

5, 677 *...exordia priva*

«exordia priva» significant initia propria.

5, 692 *...confudit tempora...*

sol contrahere solet tempora anni in orbe siderum; pro verbo «contrahendi» poeta usus est vocabulo «confundendi», ad uniendum circulum anni; «confudit» est perfectum ut aoristus gnomicus.

5, 706 magis his lumen...

«his» radii solis; illud pronomen in codicibus deest per haplographiam post «magis».

5, 743 indu Autumnus adit...

«indu» significat «in pompa deorum»; absolute adhibetur ut adverbium, non ut praepositio.

5, 744 indu aliae Tempestates Ventique secuntur

«indu» iterandum est post 5, 743 ut eluceat in eadem pompa divinitatum etiam Tempestates (=Horas et Ventos), proficisci.

5, 747 rodit Hiems, sequitur crepitans hanc dentibus Algu.

Hiems rodit (scilicet: homines); hanc Hiemem sequitur Algu, quod est summum frigus; codices exhibent «redit», quod falso videtur scriptum esse pro «rodit».

5, 761 ...interstingui atque periri.

«periri» est contaminatio quaedam orta ex «perdere» et «perire», tamquam forma deponens ut apud Plautum; cfr. Stolz-Schmalz: Lat. Grammatik, pp. 543, 601; p. 237 irier = ire.

5, 776 quove modo cuperent...

«cuperent» abest in omnibus codicibus; melius hoc loco quadrare videtur quam «possent»; stat pro «studerent».

5, 788 ut plumae atque pili...

«plumae» numerus pluralis poni debet eodem jure ac «pili... saetaeque».

5, 805 ...priscūm mortalia saecla.

«priscum» est genitivus pluralis contractus pro «priscorum»; cfr. Horatius Epod. 2, 2 «ut prisca gens mortalium»; codicum scriptio «primum» ad sensum non bene quadrat.

5, 807 huc ubi...

«huc» pro «hoc» scribendum est propter Lucretii morem loquendi «huc ubi»; exprimitur continuatio narrationis.

5, 812 vel sucum venis...

«vel» significat «oder auch» addendo novam sententiam; palaeographice «vel» et «ut» saepe inter se confunduntur.

5, 817 praebebat*mulsa et molli lanugine abundans...

«mulsa» ponendum est; «multa» (codicum scriptio) repugnat propter illud sequens «abundans».

5, 833 poro aliud succrescit...

«poro» est ablativus qualitatis pertinens ad «aliud» cuius qualitas est durities (= pōrus est graeca vox).

5, 901 flamma quidem caeli cum...

«caeli» pertinens ad «flamma» per haplographiam quandam ante «cum» periit.

5, 910 ...effutiat auri...

«auri» est dativus commodi (fürs Gehör, zum blossen Hören); «au» et «o» vocales inter se confundi solent; pro «auri» etiam «aurei» dativus priscus scribi potest.

5, 944 pabula ...miseris mortalibus apta...

codices prave scribunt «ampla», quod post «multa» (5, 943) idem significat; dicendum erat illa pabula multa «apta» miseris mortalibus fuisse; ergo qualitas pabulorum, id est: durities ciborum misera mortalibus miseris conveniebat; error codicum ita potest explicari: primo recte «apta», deinde falso «apla», postremo «ampla» scriptum est.

5, 948 denique montivagi...

«montivagi» homines prisci nominantur, qui per silvas palari solebant; codicum scriptio «nota vagis» defendi nequit; cfr. Lucretius l. 104, ubi vox «montivagae» ad bestias quoque trahitur.

5, 951 livida stagna super... musco...

postquam extremus versus 5, 950 «umida saxa» exhibuit, sequens versus 5, 951 non eadem verba in principio ferre debet; tales repetitiones in carmine Lucretii plures observantur; propterea «livida stagna» proposui; nam «livida» habet easdem prope litteras atque «umida», unde conjectari licet primo «livida» scriptum deinde a scriba in «umida» mutatum esse; deinceps etiam «stagna» in «saxa» transformatum est, ut opinor. Vergilius et Seneca «livida» ut colorem aquae adhibent; etiam «stagna» in Ciceronis versibus invenitur.

5, 984 enectique domo fugiebant saxea tecta

«enecti» significat «prope ad mortem perterriti»; «domo» est ablativus loci cfr. Th. l. l. «domus» col. 1962, 16.

5, 1002 ne tremere in casum frustra mare saepe coortum

«ne» idem est ac «profecto»; «tremere» dependet a verbo «saevibat»: «in casum» vult dicere: «usque ad ruinam» (=bis zum Einsturz); scriba quidam hunc versum valde perturbavit.

5, 1010 ...nunc dant letum sollertius opso.

de morte (=leto) non naturali agitur. quae veneno infertur; venenum autem «opso» (=cibo) abditum praebetur; codices falso scribunt «ipsi» quam vocem scribae adhibuerunt, quod Graecum illud vocabulum «opson» et «opso» ablativum non jam cognoverunt.

5, 1077 ...cum se calcans concussis artibus hinnit.

codices exhibent «sic alias», quae verba sensu carent, ut jam ex vocula «sic» apparet; sensum autem fortasse ita scribendo efficimus, «se calcans»; nam equus hinnit, etiam quando calcatur; forma porro passivi reddi potest verbo activo una cum pronomine reflexivo, cfr. Stolz-Schmalz: Lat. Grammatik p. 546; ergo scribendum est «se calcans» pro passiva forma = «cum equus calcatur»; origo erroris hoc modo potest explicari: «sec» evasit «sic»; «alcans» mutatum est in «alias» et postremo in «alias».

5, 1105 ...magis im victum...

codices scribunt «in victum» quod nihil aliud significat nisi «im victum»: «im» est «eum» = hunc victum; ecce prisca forma accusativi masculini; cfr. R. Kuehner: Ausf. Grammatik d. lat. Sprache 1, 588. 591. cfr. Lucretius, 4, 283.

5, 1139 ...vanum lugebat honorem.

«vanum» significat hoc loco idem atque «caducum» vel «inanem»; scriba VANVM in MAGNVM facillime mutavit ratus honorem semper magnum quidam esse.

5, 1145 ...vi gerere arvom...

«gerere» est idem atque «administrare»; cfr. rem gerere; apud Lucretium «arvom gerere» idem significat atque «terram colere»; non de aevo sed de arvo, id est: de campo agroque agitur; in versu 5, 1150 epiphonema ponitur complexum conclusionem variarum sententiarum et differens a versu 5, 1145; «vi» vult dicere «sub tutela armorum».

5, 1160 et celata sua in media et peccata dedisse...

homines somniantes suas actiones proprias produnt; ergo «celata sua» scribatur oportet; cfr. Lucretius 4, 962-965. 985-986; cfr. Sextus Empiricus vol. 2, p., 560 linea 22 edit. Fabricius (Lipsiae, 1840); cfr. Diogenes Laertius 10, 151 nr. 35.

5, 1164 ...florent rata rebus...

«rata» supplevi, quod haec vox pertinens ad «sacra» (5, 1163) idem significat ac «probata» et fortasse omissa est per haplographiam post «florent» (—rent).

5, 1179 fortunisque deos...

«deos» scribatur oportet pro «ideo»; nam «deos» est subjectum in illa structura accusativi cum infinitivo;

praeterea scribendum est ita verisimiliter: «longe praestare probabant»; hoc verbum («probabant») poni opus est pro falso «putabant», quod e versu superiore 5, 1178 repetitum est; cfr. 6, 33 (in fine) «probavit».

5, 1189 ...volvi quia Noctiluca videtur...

«Noctiluca» est vox poetica lunae; codices exhibent «nox et luna» quod scribae stulte reliquerunt; quia Noctiluca dea est, majusculè scribitur; cfr. *Laeivius*: Carmine fr. 26 Baehrens, fr. 26 Morel, *Varro*: Menippea 292, *Horatius*: Carmina 4, 6, 38, *Avienus*: Ora maritima 4, 429, *Macrobius*: Satur. 3, 8, 3.

5, 1190 luba Dies...

«luba» a voce graeca «loibé» derivata (cfr. Walde-Hofmann, Lat. Etym. Woerterbuch. 3. edit. Heidelberg, 1938, p. 794 s. v. libo); cfr. loibé Ctygós apud Apollonium Rhodium 2, 291 quod significat «fluxum, fluentum»: apud Lucretium est «luba Dies» nihil nisi fluxus lucis diei; Dies est hoc loco divinitas sicut Noctiluca (5, 1189), et Nox (5, 1190). «Dies» est genitivus priscus (cfr. Th. 1. l. s. v. «dies», col. 1022), sicut «rabies» 4, 1083; «luba» non intellecta in «luna» mutata est.

5, 1192 nubila, sulci, imbres...

inter res naturae inferioris sol ipse existere non potest; pro hoc vocabulo «sol» quod codices falso tradunt, immo «sulci» scribendum est; nam «sulci» sunt ea quae poeta (5, 1191) profert: noctivagae faces in caelo volantes; cfr. *Vergilius*: Aeneis 2, 697, *Lucanus*: Pharsalia 5, 562, *Valerius Flaccus*: 1, 568, *Claudianus*: Panegyricus dictus Probino et Olybrio consulis vs. 102; cfr. Lucretius 2 206-207. «sulci» olim «soulci» scriptum per haplographiam omisit «ci» ante «imbres»; reliqua pars «soul» postremo «sol» perperam evasit; cfr. Ernout-Meillet, *DE* 1173.

5, 1193 et pavidi fremitus...

fremitus ideo «pavidi» nominandi sunt, quia pavore homines afficiunt; codicum lectio «rapidi» sensu caret; neque enim de celeritate fremitus agitur, immo timor hominum, quos etiam tonitrus murmura perterrent; cfr. 5, 1220 horribili cum plaga; pavidus = horribilis.

5, 1215 ...salute in

5, 1216 perpetuo... tractu...

codex Q exhibet «salutem» quod ita solvi potest «salute in». quae praepositio ad verbum sequentem trahi potest «in perpetuo tractu aevi labentia...», nam littera «m» aequa est «in»; cfr. 3. 705.

5, 1266 ...silvasque eccaedere possint...

prisca forma «eccaedere» hoc loco ponenda est; nam codices exhibent «et caedere», quod nihil aliud nisi «eccaedere» est; cfr. Ennius «ecfari».

5, 1271 ...vecta potestas...

«vecta» idem est atque «adhibita»; materia, quae adhibebatur, cedebat, quod nimis mollis erat.

5, 1278 poro aliud succedit...

«poro» est ablativus qualitatis conjunctus cum pronomine «aliud»; eadem locutio jam in versu 5, 833 visa est.

5, 1301 ...falciferos hamatum ascendere currus

«hamatum» supinum pertinet ad «currus» et significat «ad capiendum» et est derivatum a nomine «hamus».

5, 1311 cum ductoribus armatis scaevisque magistri.

«scaevisque» scripsi; nam «scaevi» vocantur illi magistri, quod regidi et quasi torpida bestias dirigunt; necesse est «ductoribus» ponere, nam ū longum duabus vocalibus «ou» antiquitus expressum est.

5, 1321 ...vognere vinctos...

«vinctos» posui quia milites leonum unguis vulnerati prorsus impediabantur ne pugnarent.

5, 1328 in se tracta suo ninguentes sanguine fena...

versus ex 5. 1327 quasi iteratus nihilo setius ita corrigi potest, ut supra proposui scribendo «fena», non «tela».

5, 1339 ...Lucae ferro male nactae...

«nactae» derivatum est a prisco verbo «nancio» = prehendo, pulso, ico. (a verbo «nancio» postea «nanciscor» formatum est.), cfr. Ernout-Meillet: Dictionn. Etymol., p. 760.

5, 1349 qui numero diffidebant armisque vagabant

«vagabant» idem dicit atque illud «incerti vel instabiles erant»; haec forma in poetarum usu est metri causa pro forma passiva «vagari».

5, 1391 ...vatum sunt omnia cordi.

de cantu agitur; vates autem cantores sunt. qui animos delectant; propterea «vatum» (5. 1391) scribendum est pro falso «nam tum».

5, 1400 ...lascivia laeta fovebat...

«fovebat» multo melius ad infinitivum «redimire» (5. 1399) quadrat; etiam propter allitterationem «floribus», ad illud «foliis» verbum «fovebat» adhibendum est ac postremo ad variandum contra «membra moventes» (5. 1401).

5, 1442 ...florebat propter oporas...

«opora» sunt messes autumnii; graeca vox a poeta propter originem messium orientalium electa est; cfr. Varro: De Re Rustica «oporotheca». 1, 2, 10. 1, 59. 1.

5, 1449 ...vestes bona cetera...

res, quae hoc loco enumerantur, bona sunt; qua de causa "bona" cum «cetera» conjungendum est.

5, 1451 ...signa, politus

5, 1452 usus et...

ad «signa» spectat «daedala»; sed «politus» pertinet ad «usus» (5. 1452); «politus» idem est atque «elegans». educatus, liberalis; cfr. Lucretius, 3, 307; codices praebent «polito». quae forma olim erat «politos» (=politus).

LIBER SEXTVS

6, 32 et quibus ec portis...

codex Q exhibet «et portis». quod est «ec portis».

6, 49 quae fuerint, sint placato conversa pavore.

ad verbum «placato» quadrat «pavore»; codices tradunt «favore», quod male scriptum est pro «pavore».

6, 53 *deprensosque premunt...*

«deprensos» a verbo «deprehendere» sumptum significat «captos». cfr. 5. 990. 6, 429.

6, 72 *...ut ex iris poenas.*

codices exhibent «ire», quod olim «ireis» fuit ablativus priscus, pro quo nunc scribimus "*iris*".

6, 83 *...est ratio de dis caelisque tenenda...*

illud «de dis» periit et ita supplendum est, ut similem locum ac 1, 54 habeamus «de summa caeli ratione deumque».

6, 112 *et fragilis gemitus carrorum...*

«gemitus» variandi gratia nomen adhiberi potest post «sonitum» (6, 108) et «crepitem» (6, 110); «sonitus» codicis F est vox nimis incerta; «carrorum» bene quadrat in sensum hujus versiculi; etiam carri crepitem ingentem procreant; vox explicatur in Th. l. l. s. v. col. 499, «carrus».

6, 123 *...crepaci moenia mundi...*

«crepaci» ad verbum «dissiluisse» plane quadrat et crepitem ruinae mundi exprimit.

6, 131 *saepe ita dat pavidum sonitum...*

opponuntur inter se «vensicula parva» et «pavidus sonitus»; quamvis parva sit illa vensicula, tamen tantum sonitum efficit ut repentino evento pavor fiat.

6, 150 *aridior poro si nubes...*

«poro» est ablativus qualitatis pertinens ad «nubes»; haec nubes poro (=duritie) aridior facta est.

6, 155 *...sonitu in flamma crepitante...*

hoc loco praepositio «in» adhibetur («in flamma crepitante»), ut etiam tempus incendii simul indicentur; codices complures exhibent «sonitum» quod antea «sonitu in» re vera fuit.

6, 172 *ec simili causa...*

codex Q scribit «et», quod idem est atque «ec» palaeographice.

6, 201 *...convolvunt in nubibus...*

«in» nubibus venti convolvunt ignis semina; praepositio «in» per haplograhiam ante «nu-» periit; cfr. 6, 198, «nubibus in caveisque».

6, 202 ...flammas fornacibus...

codex Q exhibet «flamma» quod ipsum propter pluralem «fornacibus» in numero plurali «flammas» ponendum est.

6, 218 terrore etque sonis...

«et» in codicibus legitur, quod ad «etque» metri causa augendum est; jam in Homeri Iliade 9, 159 et 10, 224 similis copula duplex occurrit «kai te».

6, 219 ...superest quanam natura...

propter similes litteras «quanam» ante «natura» perit.

6, 274 huc ubi...

«huc» significat «praeterea, ultra»; «hunc ubi», est formula hujus poetae frequens.

6, 315 ...hoc setius illic...

codices legunt «ille» quod ex forma pleniore «illeic» remansit; pro illa vetusta scriptione «illeic» hodie exaramus «illic», quod ad «ferrum» pertinet.

6, 324 ac celeri ferme...

«ac» scribendum est, quia codices «at» exhibent quod falso scribae ex illo vero «ac» mutaverunt.

6, 368 ...postrema frigoris.

«frigoris» est genitivus nominis «frigor» quod idem est ac «frigus»; cfr. «decus» «et» decor». cf. Th. I. l. s. v. «frigor» col. 1332; jam apud Lucretium «frigor» occurrit.

6, 370 dissimilis inter se illas turbareque...

«illas» inserui, quod «partes» significat «caloris et frigoris».

6, 386 quidve notare queat de caelo fulminis ictus...

«notare» poetae videtur scripsisse; cfr. 6 221 «notaeque».

6, 401 ...fulmen tonitrusque...

ad «fulmen» pertinet «tonitrus»; errore perductus scriba «sonitus» posuit; «Juppiter» autem tonans vocatur, non sonans; etiam allitteratio «in terras» ducit ad «tonitrus»; cfr. 1, 1105.

6, 490 tam magnis modulis...

«moduli» sunt «moles»; formae deminutivae pertinent ad linguam vulgarem, qua Lucretius crebrius utitur. «moduli» a nomine «modus» derivatur,

quod «copiam» vel «amplitudinem» significat; quamquam est forma deminutiva, tamen rem ingentem (adjectivo «tam magnis» adnexo), indicat et propter metri necessitatem usurpata est.

6, 524 huc ubi...

«huc» in formula certa poetas continuat enarrationem... cfr. 6. 274.

6, 528 ...omnia prorsum.

6, 529 obvia: nix, venti...

«prorsum obvia» sunt naturae phaenomena, quae facile videri possunt.

6, 530 ...manum duramen aquarum.

«manum» est adjectivum priscum, quod «bonum» significat et vim adjectivi «immanis» continere videtur; scriba vero «manum» in «magnum» mutavit propter illud antecedens «vis magna...».

6, 541 ...fluctus summersos vesca putandumst.

«fluctus summersos», quod codices exhibent, dependet a verbo «volvere»; illa vero flumina (6. 540) sub tergo terrae sunt etiam «vesca», cujus adjectivi ultima pars «ca» codices («summersosca») retinuerunt; cfr. Lucr. 1, 326 vesco sale.

6, 550 nec minus exsultantes dum vis curva viai

6, 551 ferratos utrimque rotarum succutit orbis.

structura hujus difficilis sententiae ita explicanda est, ut ea verba inter se artissime jungantur, quae sibi sensu grammatico proxima sint:

«nec minus» = eodem modo, quod adverbium pertinet ad 6, 548 «tremescunt»; «dum» incipit novam sententiam 6, 550; «vis curva viai» est subjectum = vis curvae viae; «succutit» est praedicatum; «orbis (=orbes) rotarum ferratos exsultantes» est objectum; «utrimque» adverbium loci = in utraque parte viae = in dextra et sinistra parte viae; «exsultantes» est consequentia ex via curva, ut rotae alte saliant; hoc attributum «exsultantes (orbes)» ante positum structuram sententiae difficilem intellectu reddit.

6, 555 ut vas internum non quit...

«internum» ponendum est, quia pars interior summi momenti est ad statum vasis determinandum; cfr. Aristoteles: Physica 212 a 16; Manilius 1, 31.

6, 603 sed tamen inter dum...

«sed» fortius exprimit oppositionem; olim scriptum erat fortasse «set», quamobrem «s» postea omissum est, ut «et» (codicum) existeret.

6, 629 ...totos terrarum spargere in orbis...

accusativus quoque conjungi potest cum verbo «spargere»; propterea «totos» scripsi, quod pertinet ad «orbis» in codicibus traditum: spargere in totos orbis.

6, 736 ...in campos almos decedere...

«almos» pertinet ad «campos», qui sunt fertiles; codicum scriptio «albos» per errorem ita orta videtur: «almos, aluos, littera u = b pronuntiata: albos»; «ningues» autem semper albae sunt: itaque illud «albas» injuria ad «ningues» trahitur.

«decedere» recte se habet; cfr. 6, 872 in terram cedit.

6, 755 sed natura loci hic opus efficit...

post «loci» addidi «hic», quod adverbium est, per quandam haplographiam omissum.

6, 834 ...nisus in auris...

«in auris» recta forma pro codicum adjectivo «inanis» habenda est; nam aut «claudicat» aut «inanis» falsum est; facilius autem ex illo «inanis» verum restitui potest «in auris»; cfr. Galenus: in Hippocratis Epidemiarum librum VI commentaria I-VIII (Corpus Medicorum Graecorum V. 10, 2^o 2), Berlin, 1956, p. 358. 34.

6, 845 frigore cum premitur puro omnis terra...

«puro» pertinet ad nomen «frigore»; «purus» exprimit summum gradum qualitatis, qualitatem perfectissimam et plenissimam sine ullo defectu; ergo «frigore summo» intellegendum est; de forma recta «puro» denique vitiosa lectio «porro» evasit.

6, 858 ...calido suclare vapore.

«suclare» verbum rarissimum est; pertinet ad vocem «sucula = sucla»: quae est machina qua ex ima terra aliquid sursum volvitur; «suclare» significat aquam ex profunda terra calido vapore sursum propellere ac volvere; cfr. Festus: De Verborum significatione (ed. Mueller, Lipsiae, 1880), 301, 28; praeterea Stolz-Schmalt: Lat. Grammatik, pp. 215. 216.

6, 865 ...sonitus frigescit terra...

terra, cum frigescit et coit, sonitus crepat; «sonitus» est adverbium quod modum sonandi significat; hoc adverbium desinens in syllabas «-itus» compositum est ex genitivo «soni» nominis «sonus» et terminatione «-tus».

ut «sonitus» evadat; huius formae exempla sunt haec: animitus, antiquitus, caelifus, divinitus, funditus, pugnitus; ergo ille terrae crepitus frigescento factus adverbio «sonitus» exprimitur.

6, 899 ...stuppae taedaeque cientes

«cientes» indicat actionem stuppae et taedarum, quae non modo semina ignis in se habent, sed etiam cient; ergo actio illarum materiarum interna participio «cientes» memoratur; forma vero codicum «tenentes» iteratur solum status habendi, id quod hic non sufficit.

6, 963 ...altis montibus alsas...

«alsas» pertinet ad «nives» (6, 964), quae solis radiis tabescunt; «altas» propter illud «extractas» nihil valet.

6, 968 umor aquae poro ferrum condurat ab igni...

«poro» ablativus qualitatis idem valet ac «duritie»; ferrum durum fit et poro afficitur, ex igni in aquam conjectum.

6, 972 ...amarius fronde acini extet.

«acini» hoc loco scribendum est, quod est genitivus nominis «acinum» dependentis a voce «fronde».

6, 983 ...habere suam fortunam quaeque viasque...

«fortunam» proponere velim pro «naturam»; nam 6, 982 iam «natura» brevi antecesserat, et scriba eandem vocem simpliciter iteravit; sed «fortuna» significat idem ac «tyche» et naturam simul cum omnibus «accidentibus».

6, 1005 huc ubi...

«huc» significat «deinde, praeterea»; similiter sonat «huc accedit (item)» cfr. 1, 192. 215. 565. 753. 2, 398. 1077. 3, 459. 6, 959. 1022.

6, 1018 ...ec transverso...

codices exhibent «et», quod «ec» valet.

6, 1030 hic ubi quem memoro...

«ubi» pro «tibi» ponendum videtur esse, quod «ti» et «u» simillimae litterae apparent; praeterea formula «hic ubi» saepe apud poetam invenitur; denique «tibi» apostrophe tam inopinata rationibusque vacua cognoscitur, ut praestet «ubi» scribere; c (hiC) et t (Tibi) inter se facillime confunduntur, ut hic dittographia oriri potuerit.

6, 1081 nec... opus est ambagibus, inquam...

«inquam» scripsi, quoniam hoc loco «usquam» sensu prorsus vacat; ideo «inquam» restitui, quod Lucretius in sententiis negativis «inquam» adhibuit:

3, 341 et 5, 620, cfr. 2, 257. falso «usquam» dittographia post «ambagibus» orta est.

6, 1121 vel nebula...

«vel» idem atque «velut» est; codices «ve» exhibent mance scripturn pro «vel».

6, 1132 pestilitas et tam pigris balantibus aegror.

«tam» ad adiectivum «pigris» trahendum est, ut tamquam superlativus «pigerimis» existat; vocula «jam» hoc loco nihil valet.

6, 1185 sollicitae poro plenaque sonoribus aures

«poro» est ablativus positus pro «ulcere duro in auribus»; videtur fuisse furunculus; «sollicitae» = tormentis furunculi vexatae.

6, 1205 ...porro cui teatri sanguinis...

«cui» copulandum est cum verbo «exierat», cuius subjectum est «pro Fluvium». «cui» est dativus; codicum scriptio «cul» idem est atque «cui».

6, 1249 ...in tectum maerore dabantur

codices habent «injectum» quod ita separari debet «in tectum»; sententia deinde hoc modo struitur: Athenienses maerore in tectum (= domum) dabantur; id verbum «dabantur» pariter intellegitur atque «redibant» (6, 1248), scilicet: in tectum; itaque illud «in tectum» quasi «apó koinú» inter duo verba positum est. 6, 1249 «bonam partem» vulgariter dictum significat idem ac «magnus» vel «multus», quod adiectivum ad «maerore» spectat. e:go = magno maerore.

6, 1259 ...ex agris aegror is in urbem...

codices tradunt «maeror is»; pestis Atheniensis non solum ab hominibus e terris orientis solis oriundis, sed etiam ab agricolis Atticae prope Athenas degentibus invecta est; pestis est «aegror»; agricolae non tam maerore quam aegfore tum vexabantur.

6, 1262 ...aestus

6, 1263 confertos...

«aestus» est genitivus dependens ab adiectivo «confertos» (= plenos); «aestus» exhibent jure codices; ad «aestu» cfr. Cicero in Catilin. 1, 31 «aestu febrique».

6, 1265 corpora ...spreta jacebant...

«spreta» verisimilius est ad dictionem poetae accedere; nam «strata» ex

¶ 1264 «postrata» quasi repetitum est; «spreta» autem verior lectio videtur quae facile ad «strata» ita ducebat: SPRETA = SPRAETA = SPRATA = STRATA.

6, 1281 quisque suum proreptus amicum maestus humabat.

«proreptus» significat hoc loco «celer»; describitur celeritas sepeliendi pestilentia Athenis saeviente.

6, 1282 multaque sors subita...

pestis illa Atheniensis sors inopinata et subita fuit; unde paupertas existit, quae ad multas et horridas res homines impulit; «sors» per haplographiam quandam ante «subita» periit.

EMIL ORTH.